ADMONITIO.

PRæcedentis quinti & huius sexti exemplorum imitatione, octodecim variæ soluuntur huius, & cuiusque trianguli quæstiones. Ex datis enim (vt in quinto exemplo) angulo positionis solis, hora diei, & altitudine solis, habetur primò eleuatio poli, secundò plaga solis, tertiò declinatio solis. Item datis (vt in hoc sexto exemplo) hora diei, angulo positionis solis, & eleuatione poli, habetur quartò altitudo solis, quintò plaga solis, sextò declinatio solis. Item datis hora diei, plaga solis, & altitudine solis, habetur septimò declinatio solis, octauò angulus positionis solis, nonò eleuatio poli. Item datis hora diei, plaga solis, & declinatione solis, habetur decimò altitudo solis, vndecimò angulus positiônis solis, duodecimò eleuatio poli. Item datis plaga solis, angulo positionis solis, & declinatione solis, habetur decimotertiò eleuatio poli, decimoquartò hora diei, decimoquintò altitudo solis. Item datis plaga solis, angulo positionis solis, & eleuatione poli, habetur decimosextò declinatio solis, decimoseptimò hora diei, decimo-octauò altitudo solis. Atque ita huius solius canonis methodo, quinquaginta quatuor variæ soluuntur quæstiones eiusdem trianguli non quadrantalis. Cæteræ inferiùs soluentur.

9. *Ex his itaque patet quod duorum angulorum & suorũ subtendentium laterum tribus datis, quarti saltem* Logarithmus innotescet, tacita etiam *quadrantalium descriptione. Ab aggregato enim ex Logarithmis anguli & lateris sibi adiacentis datorum, aufer Logarithmum tertij dati, & proueniet inde Logarithmus quarti quæsiti, ipsumque quartum, nisi sit incertæ speciei, innotescet.*

Vt ex superioribus tertio, quarto, quinto, & sexto exemplis percipi potest. Angulorum enim basis Z.P.S. & Z.S.P. & suorum subtendentium crurum Z.S. & Z.P. dentur tria, quæ (verbi gratia) sint crura Z.S. 47, eiusque Logarithmus 3128580, & Z.P. 34. eiusque logarithmus 5812606, cum huic adiacente angulo Z.P.S. 42. 29'. 59". cuius Logarithmum 3921720 adde ad 5812606, fit 9734326 (Logarithmus scilicet taciti & suppressi perpendicularis Z.M. vel anguli Z.H.S. seu Z.I.P.) à quo aufer 3128580 remanet 6605746 Logarithmus quarti Z.S.P quæsiti. Ipsum itaque quartum Z.S.P. erit 31. 6'. 5". Quoniam per 2. sect. cap. 3. mînus quadrante arguitur. Contrà autem datis Z.P. 34. eiusque Logarithmo 5812606. & Z.S. 47. eiusque Logarithmo 3128580, cum huic adiacente angulo Z.S.P. 31. 6'. 5". ad cuius logarithmum 6605746. adde 3128580, fit aggregatum (vt supra) 9734326. à quo aufer 5812606, proueniet 3921720 Logarithmus quarti quæsiti, scilicet Z.P.S, cuius arcus per 1. sect. cap. 3. incertus est an sit 42. 29'. 59". an 137. 30'. 1", nisi declaret hypothesis maiórne, an minor sit quadrante.

DE NON QVADRANTALIBVS puris.

CAP. VI.

HActenus de partibus miscellaneis datis: *Sequuntur* puræ.

1. *Pura sunt tres partes eiusdem generis data. Suntque aut tria latera data, & quæruntur anguli: aut tres anguli dati, & quæruntur latera.*

ADMONITIO.

2. *PVræ quamuis simplicitate priores, ob difficultatem tamen earundem meritò hic posteriorem sortiuntur locum.*

3. *In triangulis Sphæricis primò summa ex Logarithmis crurum subducta à summa ex Logarithmis aggregati & differentiæ semibasis & semidifferentiæ crurum, relinquit duplum Logarithmi dimidij anguli verticalis.*

Quia